

LS

Hb 1060







6913.

PETRI JOANNIS VETH

ORATIO

DE

RELIGIONIS ISLAMITICAE EJUSQUE HISTORIAE
STUDIO A THEOLOGIS CHRISTIANIS MINIME
NEGLIGENDO,

PUBLICE HABITA

Die 1 Maji A. MDCCXLIII.

CUM LINGUARUM ORIENTALIUM, ANTIQUITATUM HEBRAEARUM ET EXEGESEOS
V. F., ATQUE PHILOSOPHIAE THEORETICAE PROFESSORIS MUNUS
IN ATHENAEO ILLUSTRI AMSTELODAMensi SOLENNI
RITU ADIRET.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia Civitatis Publica.

MDCCXLIII.



ИТДУ АНИАОІ ГЯТЕР

ОГАЯО

40

ИАКОВЛЕВ МИХАИЛ АЛЕКСАНДРОВИЧ
ИЗДАНИЕ СОСТАВЛЕНО ВЫСОКОМУ КОМУСУ

ИЗДАНИЕ АКАДЕМИИ

ИАКОВЛЕВА И. А.

ОБЩЕСТВО ПРИДАЧИ ОБРАЗОВАНИЯ ТАМБОВСКОЙ ГУБЕРНИИ
ИЗДАНИЕ БИБЛИОГРАФИЧЕСКОГО ОБОЗРЕНИЯ
СИСТЕМА ЕДИНСТВЕННАЯ СОВМЕСТНО

ИЗДАНИЕ



БИБЛИОГРАФИЧЕСКОЕ ОБОЗРЕНИЕ

СИСТЕМА ЕДИНСТВЕННАЯ



ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES, VIRI ERGIT
DILISSIMI, CONSULLES, PETITISSIMI,

ILLUSTRIS, VIVIS, CORDIS, HABENTIS
APUD ME PRAESTANTISSIMI,

SECRETARIO, LIBRARIO, ET HOC SOLEMNITER
CEREBRUM COMMUNIS, AUDITORIS, ET OPER
TATISSIMI,

CIVITATIS AMSTELODAMENSIS CONSUL, CETERIQUE
MAGISTRATUS, VIRI AMPLISSIMI!

ILLISTRIS HUJUS ATHENAEI ET GYMNASII HUJUS
URBIS CURATORES, VIRI SPECTATISSIMI!

QUARUMVIS ARTIUM DOCTRINARUMQUE PROFESSO-
RES, VIRI CLARISSIMI!

VERBI DIVINI INTERPRETES, VIRI PLURIMUM
REVERENDI!

AR-



ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES, VIRI ERUDITISSIMI, CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

*LECTISSIMA JUVENUM CORONA, HUJUS ATHENAEI
ALUMNI PRAESTANTISSIMI!*

*QUOTQUOT PRAETEREA AD HUNC SOLENNEM ACTUM
CELEBRANDUM CONVENISTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!*

Non



.
ORATIO

Non tam est ipsa solennis hujus diei actus
cogitatio quae animum meum hac opportunitate
percellit et angit, quam oneris gravissimi, Litera-
rum Orientalium et Philosophiae Theoreticae in
Illustri hocce Athenaeo Professione mihi demandata,
infirmis et juvenilibus meis humeris impositi recor-
datio. Profecto etiam illud habet, quod me anxium
reddat et sollicitum, qui neque orator sim, nec ubi
Latine dicendum est experiar quod aiunt, *verba*
praevisam rem non invita sequi. Sed ea tamen solli-
citudo ita gravioribus curis, quas muneris ambitus
et gravitas mihi injiciunt, opprimitur et veluti
sepelitur, ut illam vix sentiam, hae soleae animum
meum occupent. Quamquam enim gravissimo illo
munere, in quod hodie publice inaugurandus sum,

per



per plures jam menses intra auditorii parietes sum
functus , et experientia benevolentiae , qua me
Curatores , Collegae , Discipuli prosecuti sunt , dudum
eum mihi excussit metum , quem loci et homines
incogniti in animo gignere solent , eadem tamen
experientia melius quam omnis praegressa meditatio
docuit , quid et quanti sit in hujus celeberrimae urbis
luce , in hac inclyta literarum et sapientiae schola ,
talibus collegis , tanta discipulorum corona , ea qua
sim aetate juvenili et ingenii mediocritate , duarum
disciplinarum , nullo *peculiari* vinculo contentarum ,
et quibus singulis nulla difficilior et latioris ambitus
esse potest , professione , digne et laudabiliter fungi.
Hae vero cogitationes A. A. quum hac solenni hora
sponte in animo meo renoventur , eo minus de iis
tacere volui , quo majorem vim habuerunt in litera-
rum Orientalium tractandarum fines , quos mihi
constituendos esse duxi . De quibus , sin minus vobis ,
at mihi ipse certe debeo , ut hac opportunitate paucis
exponam . Quod si quem mirari subeat , quidni
etiam philosophiae studium intra certos fines mihi
cohibendum esse ducam , respondeo ipsam philosophiae
naturam non sinere , ut ejus peculiares tantummodo

par-

partes colentes, vel sic tamen philosophorum nomine digni habeamur. Hic enim omnia arctissime cohaerent et alia pars alius ope ut rite tractetur indiget. Ut verbo dicam, literae multifariae sunt, philosophia una.

Quo minus itaque fieri potest ut philosophandi peculiaris aliqua ineatur via, evitentur reliquae, eo magis mihi necessarium duco in literis Orientalibus non latius evagari quam muneric ratio postulat. Sic enim sentio, sapienti viro indignum esse nimia consecando nihil boni praestare. Literarum Orientalium nomen latissimum est, et fieri nequit ut unus vel capacissimi ingenii vir omnes earum partes animo complectatur, et in Sinensium, Indorum, Tatarorum, Persarum, Turcarum, Semiticarum gentium et tot aliorum Asiae popolorum literis simul perfectus sit. Quare discendi cupiditati frenum adhibendum est, neque effusis habenis in novum quemque irruendum investigationis campum, qui aucto in dies Europearum gentium cum Orientalibus commercio, studiis nostris recluditur. Non enim probandus est caecus ille discendi ardor, qui quid sibi velit ignorat, et finis ad quem tendit sibi

con-



conscius non est. Curriculi initio viam nobis praescribanus, eamque etiamsi aurea mala, ut olim Atalanten, nos tentent ut cursum declinemus, constanti animo persequamur oportet; si ad propositam metam feliciter pervenire cupiamus. In studiorum autem curriculo meta haec est, ut reipublicae literarum utiles simus. Praeclare vero de hac republica meretur, non tam qui eruditionis rudem indigestam que molem undecunque veluti in horreum confert, quam qui particulam aliquam viae ad veritatis arcem ducentis ita munit, ut alii tutius ea procedere possint. In tanto disciplinarum ambitu pars aliqua eligenda est, in qua prae caeteris elaboremus; quae nam autem pars a singulis sit tractanda id raro a mero arbitrio pendet, sed ipsa vitae conditio viam monstrat. Haec autem quum me philosophiae studium cum literis Orientalibus conjungere jubeat, simul suadet ut ex literis Orientalibus eas potissimum colam partes, quibus maxima intercedat cum Theologia necessitudo.

Quo tempore in patria nostra linguarum Orientium docendarum munus institutum est, id eo consilio est factum, ut lingua Hebraea, quippe qua conscripta sint



sint vetustissima purioris religionis monumenta, principe loco collocata, reliquae linguae Orientales ita maxime colerentur, ut quaeque maxime hisce monumentis lucem affundere posset. Colebantur itaque praecipue eae linguae quas communi nomine Semiticis vocare solemus, in qua familia quum lingua Hebraea et natu maxima soror, et quae a Christianis hominibus cognoscatur dignissima sit, reliquas tamen sorores minime negligendas esse senserunt, quippe quarum comparatione Hebraeae linguae ratio et formae egregie illustrarentur, et verae vocabulorum obscuriorum notiones praeter spem saepe aperirentur. Nec minus literas hisce linguis contentas ad Veteris Testamenti studium utilissime adhiberi posse summo cum jure judicarunt. Constant enim partim versionibus et paraphrasibus Veteris Testimenti vetustis, in quibus critices et exegeses sacrae egregium praesidium esse sponte ab omnibus intelligebatur; partim historicis libris, quibus quum Semiticarum gentium ingenium, mores, conditionem civilem nobis veluti in speculo exhibeant, veterum Hebraeorum historiae et antiquitati universae splendidissimam lucem afful-

B

ge-



gere sentiebant; partim geographicis scriptis, e quibus accuratior notitia peti poterat locorum, quorum in Sacra Scriptura mentio est; partim denique et prosa elatiori et carminibus, quibus audacius poëtarum et prophetarum Hebraeorum dicendi genus, et imagines ex simillima vitae conditione et simillico naturae habitu petitas egregie illustrari interpres qualibet pagina docent. Accedit quod sanctissimae religionis nostrae monumenta, quae Novo Testamento continentur, quamquam Graeca lingua, sed in Palaestina et a Judaeis hominibus scripto consignata, colorem contraxerunt prorsus Orientalem, et tum hanc ob causam, tum ob egregium usum quem veteres versiones, maxime Syriacae, in eorum interpretatione praestant, vix minori jure a Novi, quam a Veteris Testamenti interprete postulant, ut in Semiticarum gentium literis non sit hospes. Postremo religio Christiana priscis Ecclesiae saeculis per earundem gentium sedes late sparsa fuit. Nata in Palaestina, mox Syriam petivit ibique doctrinae Theologicae claras condidit scholas, in Arabiam serpsit, Aethiopiam occupavit. Ingens fuit vis ingenii gentium Semiticarum in pristinae

Ec-



Ecclesiae dogmata et fata. Et quamquam orta religione Islamitica in multis Orientis regionibus, ubi olim laetissime effluerat, Ecclesia Christiana labe-factata, debilitata, oppressa est, tantum tamen abest ut prorsus fuerit extincta, ut Ecclesiae Orientalis fata per omnem saeculorum decursum dignissimab sint, in quae Christiani homines oculos convertant. Quare ne in Theologia quidem, quam vocant, Historica tractanda, linguarum Semiticarum subsidiis se carere posse, dudum perspexerunt Theologi doctiores et acutiores.

Atque hae quidem, A. A., praecipuae causae sunt, cur ii qui in patria nostra Orientalibus literis operam dederunt, maximam partem vix extra Semiticarum literarum fines pedem proferre et utile et necesse habuerint. Dignum enim erat patrum nostrorum pietate eas potissimum colere literas, quibus religionis nostraræ fontes et Ecclesiae Christi fata illustrantur. Semiticae linguae quo vinculo cum Hebraea lingua et Novi Testamenti Graecismo cohaerent, eodem cohaerent cum sacrosancto Theologiae studio; literarum Semiticarum studium quo magis ad rectam Sacrae Scripturae interpreta-

ti-



tionem conferre constat, eo majori ardore ab Ecclesiae antistibus est colendum. Sit ita literarum Orientalium disciplinam a majoribus nostris Theologiae ancillam esse habitam; nihil tamen humilitatis inde contrahere potuit. Nobile profecto servitum est, ei disciplinae servire, in qua summum vitae praesidium est, quaeque, ut vere dicamus, omnium disciplinarum ita primaria est, ut reliquis omnibus, quo magis ad sui illustrationem amplificationemque conferant, eo majus constituat pretium.

Quamquam vero nostra memoria vehementer mutata est studiorum Orientalium facies, id tamen in rationem qua literae Orientales in hoc Illustri Atheneo sunt tractandae non eam mihi vim habere videtur, ut terminos huic disciplinae a majoribus nostris positos propagare opus sit. Theologi enim sunt, paucissimis exceptis, qui scholas nostras adeunt, quorum itaque commodis ante omnia consulendum est. Campus autem, quamquam iis quos constituimus finibus circumscriptus, vel sic tamen manet latissimus, et ut verum fateamur immensus. Ut historiam Ecclesiasticam paulisper mittamus, fieri potest ut sint qui statuant, post tot



tot tantorumque virorum doctorum elucubrations, ut adhibitis linguis scriptisque Semiticis Sacram Scripturam illustrarent, omnia quae huc facere possint jam in commentariis et thesauris criticis et exegeticis esse congesta, et nihil amplius hic agendum superesse quam ut horum laboribus utamur. Hanc certe opinionem nisi sint qui teneant, equidem non intelligo qua audacia nonnulli, aut dialectorum prorsus imperiti, aut earum cognitione levissime tincti, ad Sacri Codicis interpretationem accedere audeant. Quibus, ne longus sim, hoc unum regeram, versiones antiquas, in quibus summum est exegeseos et criticae sacrae praesidium, in tam misera etiamnum conditione versari, et tam graves de iis moveri posse quaestiones, ut plurimorum etiamnum opera sedula et continua requiri videatur, quo tandem aliquando critica et hermeneutica arte, ut par est, polita et illustrata in publicam prodeant lucem. Praetereo alia bene multa, prorsus non dubitans quin omnes aequi et harum rerum periti arbitri mihi calculum sint adjecturi, contendenti, eo meliorem quemque esse posse Codicis Sacri inter-

pre-



pretem, quo majori linguae Phoeniciae, Samaritanae, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, Aethiopicae, Talmudicae et Rabbinicae cognitione sit instructus.

Sed aliis fortasse supervacanea videbitur ingens illa opera in Sacri Codicis interpretatione ejusque textu constituendo collocanda, statuentibus omnia in Theologia, quae alicujus momenti sint, tam certa esse et explorata, ut sententiarum de rebus divinis divertia soli hominum superbiae et perversitati sint tribuenda. Quorum equidem in sententiam, A. A., lubens pedibus irem, si per conscientiam liceret. Sed rem aliter se habere alta voce clamant Theologorum etiam maxime piorum, et veritatis amantissimorum dissensiones, quarum magna pars, fateor, cum hocce Sacrae Scripturae interpretandae munere vix quidquam habet commune, major tamen pars etiam ab interpretationis diversitate pendet, et ex sanae interpretationis legibus unice potest dijudicari. Neque hae dissensiones, quatenus ab interpretatione pendent, ad leves tantummodo quaestiunculas pertinent; sed saepe tangunt res maximi momenti, aut quae a nonnullis certe, sive
919 ju-



jure sive injuria, maximi momenti habentur. Quo loco exempli gratia difficillimum de Prophetia Messiana locum vobis in memoriam revocasse, sufficiet ni fallor, quo vobis omnibus persuadeam, perquam etiamnum necessarium esse, ut Theologi summa virium intentione criticae et exegesi sacrae operam dent, ut Orientalium ingenium et dicendi rationem penitus cognoscere studeant, ut nihil denique respuant, quod eo possit conducere, ut de omnibus adhuc sub judice litibus in Theologia firma aliquando et nulli dubio obnoxia stet sententia.

Quae de usu literarum Semiticarum in Historia Ecclesiastica adumbranda supra monui, studia nostra Theologis ita commendare arbitror, ut oleum operamque perdere mihi viderer, si hoc pluribus comprobatum irem. Sed unum est, A. A., de quo neque ante dixi, nec quod universe justo suo pretio mihi aestimari videtur. Quae enim in Arabia, Mohammedi auctore, orta, et, oppressa Ecclesia Christiana, per totum Orientem sparsa est, religio Islamitica, hujus doctrinae et fatorum cognitionem a Theologis Christianis hucusque nimis esse neglectam, multae eaeque gravissimae causae sunt, quae

me



me ut statuam adducunt. De quibus quum breviter
dissere aptum huic opportunitati dicendi argumen-
tum mihi visum sit, vestram benevolentiam mihi
non defuturam esse spero, dicturo *De Religionis
Islamiticae ejusque historiae studio a Theologis
Christianis minime negligendo*. Quod probaturus
nisi prorsus fine excidam, ex disputatione mea
nova accedet commendatio eidem literarum Orien-
talium generi, quod tot aliis nominibus Theologis
summopere commendandum esse in superioribus
vidimus. Antequam tamen ipsius hujus argumenti
tractationem aggredior, ne nimium onus Theologo-
rum humeris imponere velle videar, verbo decla-
randum est, quo sensu id quod de religionis
Islamiticae studio dixi accipi velim. Nimirum non
hoc mihi volo, necesse esse ut omnes qui Theolo-
giae operam dent, in hanc quoque studiorum Orien-
talium partem involent. Hoc enim aliis virium
tenuitas, vitae conditio aliis negat. Sed uti unius-
cujusque disciplinae ambitus postulat, ut singuli
qui eam colant universae ejus tantum primas lineas
teneant, alii vero aliis partibus praecipuam navent
operam, ut sic universae disciplinae perfectum ali-
quoniam.



quando oriatur aedificium, ad quod singuli lapidem conferant; sic i summopere optandum esse opinor, ut haec quoque quam significavi studiorum Orientalium pars a nonnullis Theologis ita praecipua opera colatur et illustretur, ut fructus inde redundantes manent ad omnes, et ab omnibus percipi possint.

Argumentum, A. A., de quo dicere mihi proposui, non ~~re~~ e j u s m o d i s est, neut ~~re~~ omnis re j u s e vis et gravitas primo statim obtutu ab omnibus intelligatur. Sunt sane observationes quae continuo se animo offerant, sed subtiliori religionis et Theologiae Islamiticae cognitione opus est, ut utilitas quae ex ejus studio in Theologiam Christianam redundare possit, ab omni parte perspici queat. Hanc mihi notitiam ut compararem semper summopere in votis fuit, neque diffiteor spe illius religionis, quae in humani generis fata tantam vim habuerit, accuratius cognoscendae me in primis allatum fuisse ut ad literas Arabicas ingenium conferrem. Sed variis semper negotiis distractus, et subsidiis cummaxime necessariis destitutus, procul abest ut eos in studio difficillimo fecerim progressus, qui et desiderio

C

meo



meo satisfaciant, et rei gravitati respondeant. Et campus sane latissimus est. Corani interpretes in Europa plures exstitere, qui partim commentatorum Moslemicorum praestantiorum labores egregie in suos usus converterunt, sed nondum instituta est accuratior disquisitio, qua tamen ante omnia opus erat, de ordine, quo singulae ejus partes a Mohammedo fuerint divulgatae. Quum enim post Mohammedis demum obitum variae ab ipso pronuntiatae orationes in unum corpus sint redactae, nulla fere ratio habita est temporis quo singula sua oracula ediderit, opportunitatis quae singulis ansam praebuerit. Omnia in hoc libro mirum in modum sunt confusa, seriora prioribus commixta, singulae partes pessime cohaerent. Quibus efficitur ut difficultum etiamnum de ipso hujus religionis conditore et de vera ejus doctrina sit judicium, quod longe etiam difficilius reddiderunt monstruosa commenta, quibus seriores Moslemi, repugnante interdum ipsa Corani auctoritate, prophetae suae vitam ornarunt, et ingens traditionum incertissimae fidei moles, qua doctrinae Coranicae simplicitatem amplificarunt, corruerunt, perverterunt. Sic, ut paucis
exem-



exemplis defungar, de gravissima quaestione, an revera Mohammedes doctrinam suam gladio propagandam esse censuerit, de quo neque vulgus assclarum ejus nec Christianorum plerique unquam dubitarunt, tamen in utramque partem disputari potest; celebratissimum illud Mohammedis iter nocturnum, in traditione mirifice exornatum, his solis nititur Corani verbis obscurioribus: „Laus sit ei qui servum suum noctu ex templo Meccano transtulit in templum remotius”; et quum miraculorum patrandorum potestatem sibi concessam esse saepe disertis verbis Mohammedes in Corano neget, et ipsius Corani praestantiam unicum prae dicet missionis suae divinae argumentum,] tamen asseclae ejus non dubitarunt magnum ei tribuere miraculorum valde portentosorum numerum, quibus prophetam suam apud Christianos in impudentissimae fraudis suspicionem adduxerunt. Doctrinae apud Orthodoxos Moslemos receptae systema nugis quarum in Corano nec vola nec vestigium est ita est oneratum, ut non minus longe remotum sit a vera doctrina Coranica, quam Ecclesiae Romano-Catholicae dogmata et paecepta ab Euangelii simplicitate.

Ple-



Plerique autem qui de Mohammedis doctrina inter Christianos scripserunt nullum discrimen fecerunt inter ea quae certo ipsi prophetae Meccanorum tribui possunt, et plia adventitia et undecunque petita, quorum auctoritas aut spuria aut incerta saltem traditione nititur. Quod quam iniqua parere debuit de Mohammedi et doctrina ab eo propagata judicia, statim unicuique in oculos incurrit. Brevis post Mohammedis obitum schismata et haereses orta sunt; alii vetera Orientalium philosophemata et Magorum placita Islamiticae religionis doctrinae immiscuere; alii adhibita Graecorum philosophandi ratione dogmata accuratius definire et explicare coeperunt et Theologiam Scholasticam condiderunt; alii in mysticos se abdentes sensus, positivam religionis praecepta parvi facientes, et omnia allegorice interpretantes, unionem cum Deo mysticam praedicarunt, et in Pantheismum sive subtiliorem sive crassiorem ruerunt, et iacta sunt Sufismi, ab hodie latissime per Persiam sparsi, fundamenta; alii denique, (atque hi quidem maxime orthodoxi habentur,) aequi spernentes Theologiam Scholasticam et Mysticam, soli Corano et traditioni operam dandam

es-



esse censuerunt; sed negligentes spiritum vivificantem, et verbis anxie inhaerentes, omnes elatiores pietatis sensus oppresserunt, et ipsam doctrinam morum nugis suis labefactarunt et perverterunt. Ortae sunt innumerae sectae, quae placita sua innumeris literarum monumentis illustrare conatae sunt. In his paucissimae sunt quarum doctrina et historia ex libris editis jam accuratius nobis cognita est. Ingens librorum manuscriptorum numerus in bibliothecis latet, quibus aut universa religionis Islamiticae historia, aut aliqua pars ejus, egregie posset illustrari, sed quos nemo adhuc in suos usus convertit; et tam manca et imperfecta est quae hoc tempore, etiam summa adhibita diligentia, comparari potest religionis Islamiticae doctrinae et sectarum notitia, ut nisi affluent nova ex bibliothecarum latebris eruta subsidia, de ejus historia recte, ordine, et ita ut cause et eventa rerum gestarum quomodo cohaereant explicetur, conscribenda desperandum sit.

Sentitis, A. A., studium, quod Theologis hac opportunitate commendandum esse duxi, magnis premi difficultatibus; sed quam grave est, quam prae-



praeclarum, quam omni virium intentione dignum! Quamquam nullum dubium est, quin quo tempore religio Islamitica ejusque historia melius innotuerit, multo majorem etiam ab utilitate melius perspeeta commendationem ejus studium sit nacturum, jam nunc tamen haec utilitas eatenus certe perspici potest, ut generosioris indolis juvenes, quibus vitae tabernaculum in Theologia collocare visum est, non possit non allicere ut aliquam certe temporis sui partem huic studio impendant. Quam utilitatem quibus maxime argumentis comprobari posse censem, ne diutius ostendere differam, hora celeriter ruens me commonefacit.

Variae religionum formae, A. A., quodammodo comparari possunt cum vario animalium organismo. Ut enim varia animalium genera ita sunt comparata, ut in aliis aliae organismi vivi partes magis sint evolutae, nonnullarum interdum vix reperiantur vestigia, aliae in tantam creverint molem ut nescio quam referant deformitatem; in homine vero, omnium animantium in hac terra degentium perfectissimo, omnium organismi partium cernitur aequabilitas quaedam et pulcerrima harmonia: sic

sin-



singulae religionum formae continent particulam quamdam aut certe aliquam quasi praesensionem veri, sed ita ut in aliis aliae tantum doctrinae partes sint exultae, hae vero, neglectis reliquis et ita sublata omnium harmonia, saepe excrescant in turpissima opinionum commenta et gravissimos errores; sed in sola religione Christiana omnium perfectissima cernitur singularum doctrinae partium concinnitas et praestantissimus concentus. Deus enim uti se manifestavit in omni rerum natura, maxime vero in hominis creatione: sic etiam singulis gentibus, excitatis subinde sapientibus viris et rerum divinarum doctoribus, aliquam concessit sui cognitionem; in sola vero religione Christiana, per divinum nostrum Salvatorem, qui quasi expressa Patris Coelestis in terra fuit imago, tam perfecte humano generi se patefecit, quam in hac terrestri vita a nobis mente potest comprehendendi. Quare uti naturae studiosis, quo perfectam organismi humani sibi comparent cognitionem, et singularum ejus partium vim et praestantiam perspiciant, nihil magis commendandum est, quam anatomes et physiologiae comparatae studium: ita Theologo Christiano

quo-



quoque, ut quaenam sit religionis Christianae vis et praestantia recte perspiciat, vix quidquam utilius esse potest, quam reliquarum religionis formarum, etiam imperfectissimarum, studium comparatum. Hinc in primis quidem religioni Judaicae opera navanda est, quae religionis Christianae veluti semina continet et quandam prae sagitionem, cujusque fundamento hanc niti in confesso est; sed etiam reliquae non sunt negligendae, eo que minus quo majorem efficientiam habuerunt in humani generis conditionem, eo que ipso ostenderunt insitam vim. Religio autem Islamitica, quae ipsam Ecclesiam Christianam in Oriente propemodum oppressit, quae per universam fere Asiam et Africam sparsa fines latissime extendit, quae multos populos polytheismi labet inquinatos ad unius veri Dei cognitionem adduxit, quae peperit literarum studium ardentissimum et infinito monumentorum numero nobilitatum, quae summum olim excitavit in hominum animis enthusiasmum, et post duodecim saecula etiamnum viget, et plus quam millies centena sectatorum millia et in hujus terrestris vitae calamitatibus consolatur et spe futurae erigit, neque



vi insita carere potest, neque indigna haberi cuius placita accuratius cognoscantur. Sunt autem in illis placitis egregia multa, admixtis tamen haud paucis erroribus perniciosissimis. Deum docet unum, aeternum, omniscium, omnipotentem, coeli et terrae creatorem, sustentatorem, gubernatorem, voluntatem suam per prophetas hominibus manifestantem, humani generis summum legislatorem et futurum judicem; homini injungit ut totum se Dei voluntati tradat sapienti et misericordi eumque unicum habeat salutis suae fontem; suadet justitiam, benignitatem, liberalitatem, morum castitatem, in animi impetus dominationem; summam efficacitatem precebus tribuit sinceris et ardentibus; animorum denique immortalitatem, et boni malique in vita futura retributionem omni eximit dubio. Talis religio, A. A., opusne est dicam quantopere remota sit a polytheismi aut pantheismi sordibus, quibus, exceptis Judaeis Christianisque, infectos videmus omnes reliquarum gentium cultus? An dubitare quis potest, quin veros in hominum animis alere possit sincerae pietatis sensus? Audiatis, quaeso, unam hanc sed praestantissimam Corani sententiam,

D

quam



quam in precibus recitare solent Moslemi, et gemmis insculptam secum ferre: „Deus — non est Deus praeter ipsum — vivus, per se subsistens, quem nec sopor occupat, nec somnus. Ei est quodcumque est in coelis et in terra. Quis est qui intercedat apud eum, nisi per veniam ejus? Novit praeterita et futura, et nemo cognitionem ejus mente potest comprehendere, nisi quatenus vult. Thronus ejus extenditur supra coelum et terram eorumque conservatio nullam ei creat molestiam. Est Excelsus, est Maximus.”

Fateamur tamen ab altera parte in hac quoque religione alia dogmata in perniciosissimos errores esse deflexa, alia eaque gravissima fere prorsus esse neglecta, atque omnium ita sublatam esse harmoniam. Ut pauca afferam exempla, fati doctrina in hac religione ita est exulta et tam perverse proposita, ut mirifice alat hominum ignaviam, et animi vires debilitet; sanctitas matrimonii admissa polygamia violatur; spe proposita voluptatum corporis, quibus fruituri sunt pii in paradyso, animus devertitur a vero bono sectando; denique, quod maximum est, non sensisse videtur Mohammedes

quan-



quantopere homo indigeat vitae suaे peccato corruptae instauratore , sospitatore , et non tantum ad meliorem de Deo sententiam , sed ad animi redintegrationem duce ; et quamquam Servatoris nomen in Corano inter prophetas et Dei nuntios honorificentissimum locum occupat , verum tamen Christi munus minime perspectum habuit Arabum Propheta , et quam prorsus singulare summi amoris , quo humanum genus complectatur , documentum Deus nobis in Christo exhibuerit , prorsus eum fugisse perspicuum est .

Quae diximus de praeclaris religionis Islamiticae placitis porro eam quoque habent vim , ut mitigetur dolor , quem non sentire non possumus , ubi religionem Christianam olim in variis Orientis regionibus laete florentem , ibi maximam partem oppressam et extinctam videmus . Magis etiam mitigatur et tollitur adeo , si oculos convertimus in miseram Ecclesiae Orientalis conditionem , quo tempore Mohammedes novam suam religionem promulgare coepit . Uti religionis Judaicae ingenium Rabbinorum nugis et somniis erat perversum , et posteriori aevo ipsa Mohammedis religio , admixtis

Ma-



Magorum philosophematisbus, a nonnullis sectis prorsus est corrupta; sic in Ecclesia Christiana quoque, confusa pura et simplici Euangelii doctrina cum veteribus Orientalium gentium placitis mysticis et pantheisticis, vario tempore exstiterant Gnosticorum, Manichaeorum, Massalianorum, aliarumque sectarum monstruosae de religione sententiae; Graecorum insuper philosophandi subtilitas arripuerat doctrinam de Patre, Filio et Spiritu Sancto, et de naturae divinae et humanae in Christo conjunctione, in qua explicanda et definienda dignam haberet virium suarum exercendarum palaestram, et lites de his quaestionibus spinosissimis etiam in Oriente tanto odio et ira agitabantur, ut vera vis salutaris religionis Christianae in hominum animos nec attenderetur, nec vero etiam sentiretur; Mariae θεοτόκως, ut vocari solebat, honor paene divinus tam parum caute tribuebatur, ut Mohammedes, qui Christianorum placita nec accurate noverat, nec intelligebat, in eum incideret errorem, ut Christianorum Trinitatem Deo Patre, Maria et Jesu constare, eosque naturali conjugum et nati vinculo contineri statueret; postremo insanus imaginum cultus jam eos



eos inter Christianos fecerat progressus, ut etiam ab hac parte Ecclesia Christiana in periculum veniret, ne eadem via procedens in turpissimum recideret Polytheismum. Huic igitur Christianorum sive ad Pantheismum sive ad Polytheismum propensioni Mohammedes opponebat purissimum suum Theismum, qui loco Corani classico his verbis enuntiatur: „Deus est unus, Deus est sempiternus, non gignit neque genitus est, neque ullum habet sibi parem.” Quod si puriorem religionis Islamiticae formam, qualis ab ipso Mohamme, et in primis quidem initio prophetici ejus munera, propagata est, comparemus cum corrupta Orientalium phantasia et somniis et nimia Graecorum subtilitate religione Christiana, vix dubitabimus quin illam huic anteponendam esse censeamus. Itaque non magnopere dolebimus Ecclesiae Christianae in Oriente jacturam, sed multo magis laetabimur, si cogitamus parvos admodum progressus fuisse, quos Mohammedis aevi religio Christiana et in ipsa Arabia et in reliquis fecisset interioris Asiae regionibus, hac vero nova religione condita puriorem de Deo notitiam propagatam esse ad gentem tribuum et

gen-



gentium numerum , quae crassissimi polytheismi erroribus adhuc essent sepultae. Hac vero ratione et statim jam ad multo meliorem vitae morumque conditionem sunt redactae , et via munita est , qua aliquando puriori religionis Christianae formae paratior esse poterit ad eas aditus.

Omnis haec disputatio , A. A. , eam habet vim ut facilius acquiescamus in Divinae Providentiae humani generis fatorum dispensatione , et alias semper , et in condita quoque religione Islamitica , arcanae sapientiae plenissima. Quamquam enim certissime nobis persuasum habemus , fieri non posse ut in hac terrestri vita divinorum consiliorum in rerum humana- rum gubernatione accuratam nobis et perfectam comparemus notitiam , nativa tamen quaedam et divinitus humano ingenio indita Dei cognoscendi appetitio nos impellit ut in historia quoque Deum quaeramus , nec nos quiescere sinit antequam consiliorum divinorum causas aliquatenus certe perspexisse nobis videmur. Quare procul absit profecto illorum insanias , qui se ita gubernationis divinae rationes perspicere sibi persuasum habent , ac si ab ipso summo Deo in consilium essent adhibiti. Sed ab

al-



altera parte quoque ne negligantur vestigia divinae sapientiae quae in fatorum humanorum dispensatione agnoscere liceat, quae observare non potest non verae pietati alenda quam maxime idoneum haberi.

Quae vero placita praecilla religionem Islamiticam nobis offerre supra dixi, ea cum religionis Christianae doctrina ita cohaerent, ut statui fere possit, Mohammedem ex religione Christiana ea arripuisse omnia, quae Orientis conditioni apta essent habenda. Illa enim omnia Christianae doctrinae consentientia sunt, quae vero a Mohammedo omissa et neglecta esse videmus talia, quibus Orientis ingenium pervertendis potius, quam in suos usus adhibendis operam dederat. Et ne Salvatoris nostri personae quidem summa in Corano denegatur dignitas. Messiae et Verbi Divini epithetis ornatur. Extraordinaria ratione, e Maria et Gabriele Angelo, qui Spiritus Sancti nomine insigniri solet, ut videtur natus, veram religionem propagavit, multa miracula patravit, egregium exhibuit vitae sanctae exemplum. Iudeorum vero impietas non ferens monitorem severum, summo eum odio prosecuta est, et crucis poena a civibus suis dignus est habitus. Quum vero

in



in eo esset ut crudeli ista poena afficeretur , Deus eum clam eorum manibus eripuit , simul vero eos ita obcaecavit , ut sive alio quodam homine , sive phantasmate Jesu speciem referente (hoc enim non satis perspicuum est) cruci affixo , ipsum Jesum interfecisse sibi viderentur . Agnoscitis , A. A. , doctissimi , etiam veteri Ecclesiae Orientali non incogniti , vestigia . Observatur autem in Corani narrationibus inconstantia quaedam , quae dubium relinquit utrum Jesus ita inimicorum malitiae ereptus , postea tamen ex Mohammedis opinione mortem revera subierit necne ; id tamen certum est eum , praetermisso statu intermedio animorum , qui ad resurrectionem usque sit duraturus , statim a summo Deo in coelestis felicitatis consortium adscitum esse . Jesus autem , Mohammedi judice , habendus est inter praestantisimos verae religionis testes , et omnium prophetarum , qui ante ipsum fuere , et maximus fuit et postremus . Unde fluxerit Mohammedis de vita Jesu notitia difficile dictu est . Ipsa Novi Testamenti scripta ei non innotuisse pro certo haberi potest ; verisimillimum est unicum narrationum de Christo Coranicarum fontem esse traditionem . Cum Euan-

ni

ge-



geliis Apocryphis magnam partem conspirant; sunt tamen etiam quae Coranus sibi habeat peculiaria. Quae vero Theologi Islamitici seriores plura de vita et fatis posthumis Christi narrant, partim ejusmodi sunt ut ex eadem traditione fluxisse videantur, ideoque Mohammedis sententiam explicit et amplificant; partim tamen sine dubio accuratori eorum doctrinae Christianae notitiae, ex aliis fontibus derivatae, debentur.

Exhibuimus primas lineas Christologiae Coranicae, quae tamen uberiore expositione omnino digna foret. Sed res majoris ambitus est, quam quae hic a nobis pertractari possit. Hoc certe e dictis perspicuum est, narrationes Coranicas de Christo confusas, mutilas, corruptas esse, male cohaerere, interdum inter se repugnare; sed eas tamen summam manifestare, quae Prophetae Meccani animum occupasset, Servatoris nostri reverentiam. Religionem suam non tanquam novam religione Christianae opposuit; sed quum Christianorum doctrinam, qualis ei innotuerat, partim non intelligeret, partim quin corrupta esset non dubitaret, animum induxit, ut se divinitus destinatum crederet, qui Christi opus

E

cor-



corruptum instauraret, inchoatum continuaret et perficeret. Et quum in Corano saepissime in Christianorum perversitatem et errores acerbe invehatur, nunquam tamen ipsum religionis Christianae conditorem erroris aut fraudis arguit; sed quae ei fabulosa aut incredibilia videbantur, unice serioribus ejus sectatoribus et asseclis tribuit.

Quae quum ita sint, A. A., equidem satis mirari non possum, qui tandem factum sit, ut quum Gnostici, Manichaei et tot aliae pessima doctrina et corruptissimis moribus sectae Christianis tamen accenseri soleant, et in historia Ecclesiastica sum quaeque occupent locum, soli Mohammedi ejusque asseclis hicce locus denegatus sit. Neque enim Mohammedes solus fuit, qui nova et extraordinaria patetfactione divina se honoratum esse credidit. Idem enim Montanus et Mani sibi persuaserant, qui tamen haeresiarchae habentur quidem, sed quorum doctrinae nemo duxit in historia Ecclesiae Christianae nullam rationem habendam. Quare, si Theologi Gnosticorum, Montanistarum, Manichaeorum doctrinae cognoscendae aliquam operam navandam esse censem, aliter fieri nequit, quin

ag-



agnoscant etiam religionis Islamiticae ejusque historiae studium Theologis Christianis omnino esse commendandum. Quod vero maxime iniquum i Christianorum et infensum in Mohammedem peperit animum, non tam novavit ab ipsius propagata doctrina fuit, quam malorum quibus asseculae ejus Ecclesiam Christianam afficerunt. Haec enim quum vi avertere Imperii Orientalis non sineret debilitas, sponte ransam praebuere implacabili illi erga Moslemos odio, quod quum rebus feliciter aduersus eos gestis non posset, verbis se manifestabat et in convicia et calumnias erumpebat. Hinc igitur de ipso quoque Mohammed Christianorum judicium perversum est; quem nominis Christiani acerrimum habebant hostem, et Pseudoprophetae appellatione, non dum obsoleta, designare solebant. Quod nomen nimis odiosum velim nostris temporibus ei non amplius tribuatur. Quod si, qui Mohammedem ita appellant, simpliciter significare velint eum in doctrina sua errores nonnullos admisisse graviores, et nimio animo fervore affectibusque vehementissimis interdum eo esse adductum; ut viam iniaret pravam, qua ad propositum per se laudabile per-

ve-



veniret, ferri possunt; sin vero et propositi puritatem ei denegent, et eum ambitione potius quam pietate ad religionem suam condendam adductum esse statuant, et impulsionem vere divinam quam motus fuerit agnoscere recusent, et salutarem vim religionis ejus in gentis Arabicae et finitimarum conditionem praefracte negent, et omnes denique calamitates quas ejus sectatores Ecclesiae intulerint ipsi Mohammedi tribuendas esse censeant, sine dubio gravissime errant, et summae injustitiae culpam sustinent. Atque hic quidem, A. A., in primis animadvertatis velim Mohammedem neque fictis miraculis doctrinae suae fidem facere unquam esse conatum; neque unquam sibi arrogasse ἀναμαρτυσίαν, sed errores suos in Corano saepius agnoscere. At gladio religionem suam propagandam esse censuit! Non negamus, A. A., quamquam etiam hoc non omni dubio carere jam supra significavimus. Id certe negari nequit, plures in Corano locos extare, qui Mohammedem initio mitiori animo fuisse comprobent, quare omnino credibile est, magni et elati animi virum infenso civium erga se animo primo eo esse adductum ut vim vi repelleret et religio-

nem



nem gladio defenderet, dein vero armorum successu eo esse proiectum, ut homines melius vi quam ratione ad salutis viam adigi posse crederet. Quod vero sibi licitum censuit, ubi cum idololatris res agebatur, id nondum continuo in Judaeos et Christianos quoque transferendum est. De quibus ad religionem suam convertendis, quaenam ejus fuerit sententia, ipsis Corani verbis ostendere mihi liceat: „Cum possessoribus divinae revelationis ne aliter disceptetis quam humanis verbis, nisi forte impii sunt. Dicite fidem habemus revelationi quae vobis contigit, et ei quae nobis contigit: Deus vester et Deus noster unus est.” Postea vero Mohammedes affectuum vehementia motus, et ipse Arabum tribus Judaeis bellum intulit, et discrimen quod inter falsorum Deorum et unius veri Dei cultores initio statuerat, non prorsus quidem sustulit, sed tamen, si locus dubiae interpretationis, cuius auctoritate Moslemorum jus belli erga Christianos nititur, recte ab illis accipitur, bello ejus ad tributum solvendum cogere permisit. Itaque qui Mohammedem in imperio secuti sunt, brevi post ejus obitum etiam populis Christianis arma inferre coeperunt, et acer-

ri-



rima bella per plura saecula continuata sunt. Non dum exacto primo post Mohammedis fugam saeculo Moslemi Syriam, Aegyptum, Africam occupaverant, in Hispaniam arma intulerant, Occidentem non minus quam Orientem terrore oppleverant. In subsequentibus saeculis Italiam incursionibus lacessebant, Siciliam imperio suo adjecerunt. Oppressio Christianorum in Oriente, et metus Graecorum ne Orientis imperium Saracenorum armis succumberet, causae extiterunt bellorum Cruciatorum, quibus vicissim Occidens in Orientem velut effusus est. In Hispania cum Mauris, in Oriente cum Turcis dimicatum est, donec tandem, capta Constantinopoli, Imperium Graecum Moslemis cessit, expulsis Mauris Hispania Ecclesiae reddita est. His itaque bellis continuis, hoc odio internecivo, mirum esse nequit vinculum illud prorsus dilaceratum pesse, quo doctrina Islamitica cum religione Christiana primitus continetur.
Sed quum horum bellorum in Ecclesiae Christianae conditionem ingentem vim fuisse omnes agnoscant, ideoque in Historia Ecclesiastica praecipuum occupare soleant locum, ne putemus, A. A., fieri
pos-



posse, ut eorum causas recte perspiciamus, res gestas accurate teneamus, eventa rite explicemus, efficacitatem justo suo pretio aestimemus, sine subtiliori rerum Orientalium et in primis quoque doctrinae Islamiticae ejusque fatorum cognitione. In omnibus hisce bellis enim non tam de Imperio agebatur, quam de Religionis Principatu. Ut enim ingens ille mentis fervor, quo omnis loci et ordinis homines ex remotissimis Europae regionibus ad Terram Sanctam recuperandam advolabant, ex Ecclesiae Christianae medio aevo conditione et vi quam opiniones cum religione conjunctae in hominum animos habebant unice potest explicari, ita Moslemorum quoque, et primis imperii eorum saeculis, et expeditionum etiam Cruciarum tempore, enthusiasmus, quo Christianis nequaquam erant inferiores, eosque saepe superabant, ex una religionis vi et efficientia originem duxit. Magna profecto erat in religione Islamitica virtutis bellicae apud Orientales commendatio. Pugnae pro religione propaganda splendissimum erat propositum in vita futura praemium, martyres habebantur qui Dei causa in proelio occubuerant, et nonnulli narrantur in ipso mortis

ar-



articulo coelum quasi apertum vidisse et aeternae felicitatis praesensione quadam beati esse reddit. Neque minorem vim habebat, quae firmiter animis infixa haerebat, persuasio de hora fatali inevitabili, qua factum est ut summa pericula nihili facerent, et vitae conservandae cura prorsus animo excutetur. Quod si quis quaenam sint religionis Islamiticae ad bellum sacrum obeundum et mortem magno animo ferendam incitamenta perspicere cupiat, legat illa de prisorum Moslemorum bellis scripta celebratissima, falso Al-Wakedio tributa, quae Cruciarum expeditionum tempore, non ad veritatis normam, sed eo consilio composita esse videntur, ut Moslemorum animi excitarentur, et heroica patrum virtus iis redintegraretur.

Sed quaenam fuerit vis Religionis Islamiticae, ortae et propagatae, repressae et vires denuo recuperantis, in Ecclesiae Christianae conditionem externam notum est; sed etiam alio eoque interiore nexu Ecclesiae, maxime Orientalis, fata cum oborta illa nova doctrina esse conjuncta, nimis vulgo neglexisse videntur Historiae Ecclesiasticae scriptores. Supra vidimus quaenam crimina Mohammedes ejusque



que sectatores Christianis intulerint, et negare non potuimus revera aliquam ad Polytheismum propensionem in Ecclesia istius temporis observari. Haec igitur crimina ut refellerent operam dederunt plures scriptores Apologetici, qui tamen, non intra hos fines subsistentes, vicissim quoque Moslemos gravissimis criminibus accusabant. Hi quamquam in accusando turpem saepissime produnt inscitiam et animum infensem, neque etiam defensionis optimam viam iniisse videntur, jure tamen suo contendere poterant, et revera contenderunt, neque dogma de Trinitate verum includere Tritheismum, neque honorem qui crucis effigiei et imaginibus sanctorum haberetur, revera idolatriae loco esse habendum. Itaque unitatem Dei praecipuum religionis Christianae quoque dogma esse affirmabant. Dum vero Ecclesia operam dabat ut se polytheismi et idolatriae purgaret, sponte etiam factum est, ut ea quae tantis criminibus ansam praebuissent aut sensim amoverentur, aut in nonnullorum certe reprehensionem incurrerent. Quod in nulla re magis cernitur quam in litibus, quae ante exactum primum post Mohammedem saeculum de imaginibus agitari coe-

F

pe-



perunt. Leo III Imperator primus fuit, qui omnes imagines e Christianorum templis tolli jussit, et agnoscunt ipsi scriptores Ecclesiastici, eum Biseri cujusdam, Saracenorum opinionibus faventis, auctoritate eo adductum esse, ut imaginum cultum idololatriae loco haberet, et tanquam perniciosissimam pestem effugiendum esse duceret.

Sed mutua fuit illa alterius religionis in alteram efficientia. In regionibus enim Moslemorum victoriis ab Ecclesia avulsis religio Christiana tamen non prorsus oppressa est. Quamquam enim primitiva Mohammedis sententia de vi possessoribus divinae revelationis non inferenda postea ab ipso quodammodo revocata esse videtur, aut certe Moslemi posteriori aevo nullam ejus habuere rationem, nunquam tamen omnes occupatarum regionum incolas, qui Islamicam religionem amplecti recusarent, aut sedibus expellendos, aut gladio trucidandos censuerunt, sed religionis libertatem concesserunt Iudeis et Christianis omnibus (de aliarum religionum sectatoribus quaestio et difficilior est, et ad nos non attinet) qui tributum solvere, et aliis haud levibus sane molestiis se submittere, quam novam

doc-



doctrinam profiteri malebant. Leges subditis Christianis Judaeisve impositae, quas primum constituit Omarus Chalifa quum Hierosolyma in ditionem fecisset, semper fundamentum mansere omnium posterioris aevi constitutionum; quod tamen non impedivit quominus pro varia principum cogitandi sentiendique ratione, in variis regionibus et variis temporibus, admodum diversa fuerit Christianorum inter Moslemos degentium conditio. Horum igitur historia cum historia Islamismi arctissime cohaeret, et, ut sponte intelligitur, etiam eorum de rebus divinis sententia non ab omni vi opinionum inter Moslemos vigentium immunis manere potuit. Vi- cissim tamen his Christianis magnam partem debetur Theologiae Islamiticae a variis sectis exultae ratio et forma. Ingens in primis fuit vis philosophiae et literarum Graecarum a Syris primo Nestorianis inter Arabes propagatarum, quae studiis cum haeretica- rum maxime sectarum, tum vero etiam orthodoxorum, stimulum addiderunt efficacissimum. Christianorum exemplo scholae et collegia condita sunt; summa virium contentionе literis operam dare coeperunt, quorum tamen semper aliqua cum reli-
gi.



gione erat conjunctio ; et quam doctrinam primo a Christianis acceperant , hanc conservatam et suo more exultam , postea rursus Moslemi cum iis Christianis communicarunt qui , fama scholarum Moslemicarum affecti , maxime in Hispania eruditionis et sapientiae Orientalis fontem adire non dignificarentur . Quorum studia rursus non negligenda sunt inter causas sensim paulatimque mutatae , medio aevo ad finem vergente , universae Ecclesiae Christianae conditionis , quae tandem desiit in Ecclesiae Reformationem .

Plura ex hoc genere afferre possem , A. A. , sed sentio mihi temperandum esse , ne abutar vestra patientia . Duo tamen mihi animadvertenda supersunt , quae si omitterem , gravissima argumenta , quae pro mea causa afferri possint , negligere mihi viderer .

Prius hoc est , fata religionis Islamiticae , apta instituta comparatione , Ecclesiae Christianae ejusque dogmatum historiam egregie saepe illustrare . Ingenii humani generis semper et ubivis eadem est ratio , ita ut homines similibus moventibus causis in similes incident errores , et simili modo ab iis revocentur .

Ha-



Habet religio Islamitica praeter Sacram Scripturam suas traditiones, ineptissimis nugis refertas; habet suum Pontificem Maximum, Chalifam; habet suum schisma Sonnitas inter et Sciitas, quod admirabilem refert cum schismate Graecorum et Latinorum similitudinem; habet infinitum suum sectarum et haeresium numerum; habet suas aliter sentientium persecutiones, suas lites de religione vi et armis direntas; habet sua ficta miracula, suos martyres et sanctos, suos eremitas et monachos; habet Theologos Scholasticos, qui nimis rationis acumini, Mysticos qui sensui omnia tribuunt, et per unionem mysticam in Pantheismum ruunt. Brevi nihil invenitur in Ecclesiae Christianae historia a mente conditoris tam alienum, nihil tam absurdum et Deo indignum, quin iis quae religionis Islamiticae historia offerat aequiparetur.

Habet ista comparatio, A. A., praeter usum quem in historia illustranda praestat, hanc quoque utilitatem, quod si ita, veluti extra partes positi, contemplemur humanos errores, melius et rectius de iis judicare licet. Saepe enim pertaesи eorum, quae nobis ipsis quotidie molestiam creant, ea

om-



omnia pravae hominum voluntati et malitiae tribuimus, neque perspicimus humanae rationis imbecillitate effici, ut educatio, auctoritas, exempla gravissimos gignant et propagant errores, qui ab optimis saepe hominibus, et qui studio flagrant ut aliorum consulant felicitati, veri quippe specie deceptis, tanto ardore et studio defensitantur, ut affectuum vehementia abrepti, eos vel vi invitatis obtrudere non graventur. Suadet haec cogitatio ut alienos errores facile ignoscamus; simul vero etiam summam nos docet in judicando moderationem. Nam qua indulgentia de aliis, eadem modestia de nobismet ipsis judicemus necesse est, qui ejusdem imbecillitatis sumus participes.

Sed festino ad alterum, quod animadvertisendum esse dixi, quodque ad religionis Christianae inter Moslemos propagationem pertinet. Huic enim qui operam dare cupiunt, ne accuratam religionis Islamiticae notitiam sibi comparare negligant, omnino necessarium est. Vix aliter fieri potest, quin fine excidant illi, qui nulla ratione habita opinionum, quas religionis Islamiticae doctrina in hominum mentibus alit, nihil antiquius habent quam jam

sta-



statim ab initio illa dogmata Mohammedis sectatoribus obtrudere, quae ipsum Mohammedem maxime in doctrina Christiana offendisse Coranus quavis fere pagina docet. Isque error, saepius commissus, eo minus habet excusationis, quo aptius fundatum praebent narrationes Coranicae de Christo, cui universa Euangelii praedicatio superstruatur. Habanta est religio Islamitica corrupta quaedam et mutilata jam ab initio religionis Christianae forma; sed quae temporum decursu etiam in pejus mutata est. Quare egregia sane res est, homines alto superstitionis somno sopitos ad novam vitam in Christo excitare, et omnes animi vires in id intendere, ut Euangelii munerum vere participes reddantur. Sed quo gravior et praestantior ea res est, eo major cura adhibenda est, ne inscitia bonae causae obsit, et imprudentia, quae cum ea conjuncta esse solet, impedit, quominus conatus cummaxime laudabiles prospero gaudeant successu.

Atque hic quidem, A. A., non possum non animadvertere, quantopere ea res nobis in primis curae cordique esse debeat, nobis, inquam, Belgis, quorum ditioni in India Orientali multa hominum

mil-



millia Islamicam religionem profitentium subdita sunt, quorum salutem Deus Optimus Maximus nostris veluti manibus commisit. Verum est conatus humanos nihil valere sine efficaci Dei auxilio, sed non minus verum est evitandum esse illum Moslemorum errorem, qui non dubitantes quin Deus suo tempore decreta sua sit exsecuturus, interea ignorantiae se tradant, et non reputent Deum tot praeclaras dotes humano generi non concessisse, ut languori desidiaque dederentur. Quare agnoscamus etiam in bona causa promovenda scientiam ignorantiae praestare, et religionis Islamiticae studium Theologis Christianis, qui praeclaro fidei inter Moslemos propagandae operi vires consecrare cupiant, summopere esse commendandum.

Vereor, A. A., ne nimis late evagata sit oratio mea, sed ut dicendi finem jam faciam neque hujus diei solennitas, nec vero etiam animus meus sinit. Vos enim, quum hic praesentes adspiciam, Amplissimi Viri, hujus civitatis Magistratus et Illustris hujus Athenaei Curatores, sponte redeo in memori-

am



am insignis beneficii, quod vestrae erga me debo
benevolentiae, vestrae honorifcae de me existima-
tioni. Cui ut digne respondeam profecto non deest
voluntas, ne vires unquam sint defuturae Deum
Optimum Maximum toto pectore precor. Quanto-
pere sensu difficultatum, quibus, tam praeclaro et
tam gravi munere mihi juveni demandato, un-
dique me circumseptum video, deprimar, supra
significavi, et hic repetere nolo, ne vestra abutar
patientia. Multis ea de re disserere possem, et
sensus tenuitatis meae ita pectori infixus haeret,
ut vix mihi temperem ab eo, quod totum animum
occupet, multis quoque verbis declarando. Sed cui
bono foret ista verbositas? Nunquam dissimulavi,
et quid de literarum Orientalium, maxime vero de
Philosophiae Theoreticae Professionis difficultate sen-
tirem, et quam duplici huic gravissimo muneri
me ipse haberem imparem. Vobis non latuit aetas
mea, non latuit me nihil adhuc in literarum studiis
praestitisse, quod tanto honore me dignum reddere
posset. Vel sic tamen vos, Curatores, idoneum me
judicastis, qui gemino hoc ornarer honore, vos,
Magistratus, non dubitastis in Clarissimi ROORDÆ

G

me



me sufficere locum, quasi vero juvenilia mea conamina in tanto viro, tam docto, tam acuto, factam jacturam aliquantulum possent compensare. Ego, nimia, vereor, juvenili audacia ductus, honorem non recusavi, gravissimum onus mihi imponi passus sum; alea jacta est, Rubiconem transii, non amplius regredi licet. Superest tantum, ut quam hucusque expertus sum benevolentiam vestram, eane in posterum quoque mihi desit vos obsecrem et obtester; ut spondeam me omni virium contentione id acturum, ut honore, quo nondum me dignum censere possim, aliquando dignus fiam; ut grato semper animo denique recolam vestra beneficia, quae profecto maxima sunt, sive cogito paeclararam in quam me evectum video dignitatem, sive Athenaei Franequerani luctuosissimum naufragium, cui vestrum praesens auxilium feliciter me eripuit.

Quo tempore Professoris in Athenaeo Amstelodamensi munus mihi delatum est, in Curatorum Collegio vacuus erat locus, quem tandem digno modo esse completum, gaudent omnes, quibus in hac civitate literae curae cordique sunt. Tibi, KOENI,
Vir Amplissime, qui hodie honorificum illum locum

pri-



primo publice occupas, impense gratulor hunc honorem, Athenaeo Amstelodamensi te gratulor Curatorem, a cuius flagranti in bonas literas studio praeclara commoda multa artibus et disciplinis, doctoribus et discipulis exspectare licet. Diu te servet Deus in columem, et in rempublicam literarum ita animatum, ut per paucos jam menses, quibus munere tuo functus es, non verbis tantum sed re te ostendisti. Liceat mihi mea studia *benevolentiae* quoque tuae commendare, quae quin tibi curae sint futurae nemo sane, qui te novit, dubitare potest.

Ad vos se convertit oratio mea, Clarissimi Viri, quarumvis disciplinarum sive in Illustri Athenaeo, sive in Remonstrantium, Teleiobaptistarum, et Augustanae Confessionis Seminariis Professores. Mirabuntur fortasse nonnulli me ita vos omnes allocutione mea conjungere, quos hac solenni opportunitate locis et vestitus adeo discrimine video disjunctos. Sed, fateor, probare nequeo istam disjunctionem, quae ex veteri consuetudine servata, vix tamen nostri temporis est, et me certe nescio quo sensu afficit ingrato. Omnes enim conjuncti estis



eodem bonarum artium literarumque studio, eodem pulcri veri honestique amore. Arctissimum vinculum Seminaria cum Athenaeo copulat, quorum discipuli in sola Theologiae disciplina peculiari institutione fruuntur, quamquam e tuis quoque, Clarissime ROOIJENS, egregiis scholis exegeticis et historicis fructum capere non dedignantur; in reliquis vero disciplinis omnibus, non exceptis Literis Orientalibus, Antiquitate Hebraea, Veteris Foederis Exegesi, iisdem uti solent, atque Athenaei alumni, doctoribus. Verum est Seminarii Teleiobaptistarum discipulos hucusque scholas meas de hisce disciplinis non adiisse, sed Summe Reverendi GILSHI peculiari institutione esse fruitos. Sed non possum non hac opportunitate, ne perversae ea de re alantur et propagentur opiniones, palam declarare, id nulli dissensioni esse tribuendum, sed unice Curatorum Seminarii illius egregiae, p. qua semper eminuere, futurorum pastorum curae, qua metuentes ne Literarum Orientalium Professio in Athenaeo Illustridiu vacua relinqueretur, permoti sunt ut ad tempus Seminarii alumnorum ad literas Orientalis instituendorum commodis GILSHI auxilio implorato consulerent.



rent. id Et sine dubio hanc provinciam nemini melius mandare potuissent, quam praeclaro illi et Literarum Orientalium peritissimo viro, quocum amicitiae vinculo me junctum esse glorior, quem summa cum voluptate hic praesentem adspicio. Sed redeo, unde deflexa est oratio mea. Omnes igitur, sive Athenaei, sive Seminariorum Professores, eadem me excepérunt comitate, eadem constanter me prosecuti sunt benevolentia. Itaque ut animus jubet omnes hoc solemni die Collegas salutare mihi liceat. Collegas autem quum dicam viros tam praeclaros, tam doctos, tam omni laude et honore cumulatos, intelligitisne, A. A., quo animo esse debeam? miramine me verbis declarare non posse, qualem sentiam pudorem, confusionem, trepidationem, metum? Sed quid multa? Nulla sit adhuc, Collegae Aestimatissimi! mei in meritis meis commendatio, at est fortasse aliquā in desiderio ut laudes vestras aequem, in firmo animi proposito omnium virium mearum bonis literis et hujus Athenaei commodis consecrandarum. Comitatis et benevolentiae vestrae experientia animi curam levat; spes arridet; ut, quum videritis continuos et sedulos meos conatus,

ves-



vestra amicitia me non indignum sitis habituri.
 Multa sunt quae me magno animo esse jubent; et
 conatum eventum fiderter summo Deo committere
 licet, cuius eximiam benignitatem per omnem vitae
 cursum expertus sum.

Te vero, Clarissime BOSSCHA, quem video Clarissimi
 hujus Ordinis hoc tempore Praesidem, nomi-
 natim non compellare vetat pristinae necessitudinis
 recordatio. Quinque circiter exacti sunt anni, ex
 quo, curriculo Academico nondum ad calcem de-
 curso, primum te adii in Academia Regia Militari
 Professoris munere fungentem. Magnopere tunc
 suspiciebam virum, cuius laudes per omnium ora
 volitabant, et quamquam tua comitas et humanitas
 mox omnem metum animo meo exemit, non minuit
 sed auxit tui reverentiam. Quum brevi post, te
 in primis meis rebus favente, Praeceptoris munus
 in eadem Academia Militari mihi esset delatum,
 te semper expertus sum mihi benevolum et amicum;
 et Professio in hoc Illustri Athenaeo post anni
 spatium in te collata, quod tibi multis nominibus
 eam gratam esse comperiebam, magna me implevit
 laetitia, quod te mihi fuit carendum, magno me

af-



affecit dolore. Quare mirum non est, me, quum post varios casus tutum hunc intrarem portum Amstelodainensem, cum multas alias ob causas, tum propter hanc quoque felicem mihi visum esse, quod te in litore invenirem, amicam manum mihi porrigentem. Utinam in posterum quoque me tua amicitia non habeas indignum, et faxit Deus ut omnia tibi prospere cedant, et praeclaris quibus te ornavit dotibus diu tibi uti liceat in hujus Civitatis, Patriae, Literarum emolumentum.

Superest ut vobis, Praestantissimi Juvenes, qui in hac civitate bonis literis operam datis, significem quo animo erga vos sim. Sed aut vehementer fallor, aut multis verbis opus non est. Probe sentio multum abesse, ut talis sim doctor, qualis esse cupiam, qualem animo mihi informem; non tamen mihi deesse nostis ardens desiderium, ut vestris commodis consulam. Praeclara necessitudo est, quae Magistrum inter et Discipulos intercedit, de qua quid mihi videatur, et scholarum initio, et alias saepius significavi; et spero vobis experientiam jam persuasisse, mihi non deesse voluntatem ut meo satisfaciam officio, ut laetus agnosco vos quoque spem

me-



meam non fecellisse. Pergatis me prosequi benevolentia et observantia vestra, et habebitis me semper amicum, ut hucusque habuistis. Ne in posterum quoque mihi desitis animi attentione et industria, et me reddetis felicem et indies alacriorem ad studia vestra promovenda. Ne desinatis summo ardore omnes vires vestras literarum studiis consecrare, et fructus capietis uberrimos, qui in Patriae et Ecclesiae et Humani Generis salutem redundabunt.

D I X I.

ANNOTATIO.

P. 18. l. 5. *Nondum instituta est accurasier disquisitio.* Doct. J. H. Möller in primo fasciculo libri, cui titulus *Palaeographische Beiträge aus den Herzoglichen Sammlungen in Gotha* (Heft I. Erfurt. Heckerman. 1842. Fol.), exhibuit specimina quaedam scripturae Cuficae e Corani Codd. Gothanis, et in *Introductione exposuit de historia textus hujus libri antiquiore.* Doleo mihi hunc librum inspicere nondum licuisse.

P. 19. l. 5. *In utramque partem disputari potest.* Affirmant nonnulli Moslemorum doctores praecepta Coranica de bello infidelibus inferendo ad ipsam tantum pertinere occasionem, qua fuerint edita. Vid. GEROCK, *Christologie des Korans*, p. 118—128; MALCOLM, *History of Persia*, T. II. p. 320.

P. 19. l. 7. *Hic solis nititur Corani verbis.* Sura XVII: 1. Cfr. tamen v. HAMMER, *Gemäldeaal*, T. I. p. 79.

P. 19. l. 14. *Missionis suae divinae argumentum.* Sura XIII: 8. XVII: 92—95, saepius.

P. 20. l. 11. *Magorum placita.* Vid. TAYLOR, *Geschichte des Mohammedanismus* (a. d. Engl.) c. VII.

P. 20. l. 14. *Theologiam Scholasticam condiderunt.* Vid. SALE, *Preliminary Discourse*, sect. VIII. init.; DE SACY, *Exposé de la religion des Druses*, Introd. p. XXII.

P. 20. l. 19. *Jacta sunt Sufismi—fundamenta.* Vid. THOLUCK, *de Sufismo Orientalium*, c. II.

P. 21. l. 3. *Doctrinam morum—perverterunt.* Cfr. e. g. d'HERBELOT in *Abou Joseph*.



P. 21. I. 15. *Sectarum notitia.* Sufiorum doctrinam accuratius novimus, partim ex MALCOLMI *History of Persia*, partim ex THOLUCKII libro *de Sufismo Orientalium*, et ejusdem *Blütenlese aus der Morgenländischen Mystik*. De sectarum Ismaeliticarum historia egregie meritus est SACUS, cum in *Chrestomathic Arabe* passim, tum maxime in *Exposé de la Religion des Druses*. Addi possunt TAYLOR in libro jam laud. c. VII—X et v. HAMMER in *Geschichte der Assassinen*. De reliquis sectis quae leguntur in MARACCHI *Prodromi ad refutationem Alcorani*, P. III. c. XXIV., in POCOCKII *Specimine Historiae Aralium*, in d'HERBELOTII *Bibliothèque Orientale* et in SALII *Preliminary Discourse*, sect. VIII., imperfecta sunt, nec valde perspicua, et interdum erronea. Ad accuratorem cognitionem via parata est, cum editis, a WÜSTERFELDIO et DE SLANIO, IBN CHALLICANI *vitis virorum illustrium*, tum maxime libro nuper edito, cui titulus *Book of Religious and Philosophical Sects, by MUHAMMAD AL-SHABASTANI*, P. I. now first edited by the Rev. W. CURETON, London, 1842.

P. 24. I. 21. *Plus quam millies centena sectatorum millia.* HASE, *Kirchengeschichte*, ed. 2ae, p. 607: »Nach ungefährtem Ueberschlage hat Moses 5, Brahma 60, Buddha 200, Mohammed 110, Christus 260 Millionen Verehrer.»

P. 26. I. 1. *Gemmis insculptam secum ferre.* Vid. SALE, *the Koran* (ed. 1836) p. 30. v. HAMMER, *Gemäldesaal*, T. I. p. 47. not. »Diesz ist der berühmte Vers des Thrones Gottes, der mächtigste unter den Talismanischen.» Exstat Sura II: 256.

P. 26. I. 19. *Animi vires debilitet.* Vid. MALCOLM, M. I. T. II. p. 332. Operae pretium est conferre LEIBNITZIUM, in *Essais de Theodicée*, § 55, contra Moslemorum fatum disputantem.

Ibid. *Sanctitas matrimonii admissa polygamia violatur.* De perniciosissima vi quam in populorum Orientalium societatem habet Polygamia in *Académie des sciences morales et politiques de Paris* commentationem legit EUS. DE SALLS, cuius excerpta leguntur in *l'Institut, Journal Universel des Sciences et des Sociétés Savantes en France et à l'Etranger*, №. 86. Février 1843, p. 25.

P. 26. I. 20. *Spe proposita voluptatum corporis.* Interdum tamen eliam de Dei conspectu sermo est, ut Sura LXXV: 23. Cfr. *Carmen Amali dictum*, ed. v. BOHLEN, vs. 20, 21; SALE, *Prelim. Disc.* (ed. 1836), p. 77.

P. 28. I. 20. *Ut Christianorum Trinitatem—statueret.* Cfr. omnino GEROCK, I. I. p. 71—82.

p. 29.



P. 29. l. 3. *In turpissimum recideret Polytheismum.* BILDERDYK, *Brieven*, T. IV. p. 80: » Neen waarlijk: 't Islamismus is een weldaad, en zelfs is het verbeelde ik mij kenbaar, dat het het Christendom bewaard heeft, hetgeen zonder dat en de tegenwrijtingen van Oost en West in de duisterste tijden, niet slechts in lauwheid (om het dus uit te drukken) *de sa belle mort* uitgegaan zou zijn; maar even als de Indische Bramadienst tot een veelgodendom overgegaan, waar het de grootste neiging toe had, en zelfs inderdaad den weg toe insloeg.”

P. 29. l. 7. *Loco Corani classico.* Vid. SALE, *the Koran*, p. 500. Legitur hicce locus Sura CXII. Alii loci similes exstant in Corano quamplurimi, ut VI: 101, IX: 30, 31, XIX: 91—93, XXIII: 93.

P. 30. l. 5. *Paratior esse poterit ad eas aditus.* Cfr. Clar. P. HOFSTEDER DE GROOT, *de Mahomedaansche Godsdienst uit een Christelijk oogpunt beschouwd.* (*Waarheid in Liefde*, 1838. No. I.)

P. 31. l. 17. *Extraordinaria ratione—natus.* Vid. GEROCK, I, p. 36—46.

P. 31. l. 18. *Veram religionem—exemplum.* Vid. Ibid. p. 100—102.

P. 32. l. 14. *In coelestis felicitatis consortium.* Vid. Ibid. p. 59—64.

P. 32. l. 20. *Ipsa Novi Testamenti scripta—traditionem.* Hanc sententiam amplexus quoque est GEROCKIUS, et pro ea pugnant omnia quae de Christo et Christianorum doctrina in Corano leguntur. Sed opera tamen prelum videtur hic adscribere locum HAMMERI, in *Gemäldesaal* T. I. p. 67, contrariae opinioni faventem: » Im dritten Jahre nach der Sendung der ersten Sure des Korans starb Werka, der Sohn Naufil's, der Vetter Chadidsche's, ein für die Geschichte des Prophetenthumes Mohammed's höchst merkwürdiger Mann, dessen historische Wichtigkeit aber bisher allen Europäischen Biographen Mohammed's entgangen. Diese haben die aus dem Koran erhellende genaue [?] Bekanntschaft Mohammed's mit der Bibel in der zweimaligen Reise nach Syrien und in dem kurzen Aufenthalte in dem Kloster zu Bosra bei den Vorstehern desselben, Bahira [lege Bohaira]. Vid. *The Biographical Dictionary of El-Nawawi*, ed. WÜSTERFELD, fasc. I. p. 32.] und Nestor, zu finden sich bemüht; von dem Christlichen Priester Werka B. Naufil aber, dem Vetter Chadidsche's, welcher während der ersten achtzehn Jahre der Ehe Mohammed's im innigsten Umgange mit denselben lebte, haben sie keine Kunde. [Hoc tamen non prorsus verum est. Vid. v. c. SALE, *Prelim. Disc.* p. 33.] Werka B. Naufil aber, der Vetter Chadidsche's, war nicht nur Christ, sondern auch Priester, und hatte das alle und neue [?] Testament aus

den



dem Hebräischen ins Arabische übersetzt. [Auctorem hic citat HAMMERUS Ibrahimum Halebensem, cuius biographia Mohammedis Kahirae typis expressa est, p. 52.] Ihm hatte Chadidsche die erste Offenbarung ihres Gemahls mitgetheilt, und der Greis Werka wünschte dazu glück, dasz Mohammed wie Moses durch Gabriël himmlische Sendung empfangen. Chadidsche und ihr Vetter Werka waren also die beiden ersten Bekenner des Islams, und des letzten Arabische Uebersetzung der heiligen Schriften gibt die genügendste Auskunft über die groszen Plagiate des Korans aus denselben. Mohammed betrauerte seinen Tod ungemein, und alle Quellen der Ueberlieferung haben das folgende Wort erhalten, womit der Prophet dessen Tod betrauerte: » Ich habe einen Priester im Paradiese gesehen, mit grünem Kleide angethan, denn es war ein Glaübiger, und es war kein anderer als Werka. » Werka, der Sohn Naufil's, verdient also ausgezeichnete Erwähnung, nicht nur in der Biographie Mohammed's als dessen Hausfreund und Religionslehrer, sondern auch in der Literaturgeschichte als der erste bekannte Ueersetzer der Bibel ins Arabische.» Pluribus de hac antiquissima Sacrae Scripturae versione Arabicā exposuit HAMMERUS in *Journal of the Asiatic Society for Great-Britain and Ireland*, T. IV, quem librum vehementer doleo mihi ad manus non esse.

P. 33. l. 18. *Religionem suam—perficeret.* Rursus hic adscribere lubet memorabilem BILDERDYKII locum, *Brieven*, T. IV. pag. 75. » Ik beklaag altijd mijne onkunde in de Arabische taal; ik gaf anders eene verklaring van den Koran voor de Mahomedanen om aan te tonen, dat Mahometh Christen was met het hart, en het Nestoriaansche zoogenoemde Christendom, dat hij had leeren kennen, hervormen en verbeteren wilde, als ook inderdaad wel noodig was. Hij kende geen anderen Euangelist dan Matthaeus [?], en dezen verstand hij niet dan naar de uitleggingen die hij bij henlieden vond, en daar hij ontbloot was van de kennis der profecijen, waardoor wij den Heiland der wereld alleen erkennen kunnen, vervoerde zijn vurig Enthusiasmus hem, om als vervuller, verbeteraar en uitbreider van het Christendom, zoo als hij het zich in hart en verbeelding voorstelde, op te treden, en waarlijk hij was werktuig in de hand der weldadige Voorzienigheid, en voorbereider des Heils onder het Heiden- en Manicheëndom. »

P. 36. l. 15. *Errores suos in Corano saepius agnoscere.* Vid. Sura IX: 106, XL: 57, XLVIII: 1, 2. LXXX: 1—11.

P. 36. l. 21. *Quare omnino credibile est—crederet.* Cfr. omnino TYCHSEN in *Comment. Soc. Reg. Gött.*, T. XV, p. 156, cuius verba etiam allegavit GEROCKIUS, p. 120; et GIBBON, *Decline and Fall*, p. 926. (edit. 1836 uno Volum.)

P. 37.



P. 37. l. 8. *Ipsius Corani verbis.* Sura XXIX: 45. Cfr. GEROCK, p. 125—128.

P. 37. l. 18. *Locus dubiae interpretationis.* Sura IX: 29, de quo loco cfr. GEROCK, l. 1.

P. 39. l. 3. *Sine subtiliori rerum Orientalium—cognitione.* Cfr. HAMAKERI *Oratio de Graecis Latinisque Historicis medii aevi ex Orientalibus fontibus illustrandis.*

P. 40. l. 4. *Persuasio de hora fatali inevitabili.* Vid. e. g. Sura XXXIII: 16.

P. 40. l. 5. *Ut summa pericula nihili facerent.* Cfr. HAMAKERI *Oratio de Religione Muhammedica, magno virtutis bellicae apud Orientales incitamento, et ejusdem disputatio over de voornaamste oorzaken van de eerste uitbreiding van het rijk der Saracenen.* (Recensent ook der Recensenten, 1814, bl. 322—334, 361—368.)

P. 41. l. 4. *Plures scriptores Apologetici.* Vid. G. H. VAN SENDEN, *Verdediging van Bijbel en Openbaring.* II D. I st. (Geschiedenis der Apologetiek. I D.) p. 506—524.

P. 42. l. 3. *Ipsi scriptores Ecclesiastici.* In *Synodico veteri*, c. 138, (in FABRICII *Bibl. Gr.* T. XI. p. 248.) Leo dicitur τῇ πλανῇ Κωνσταντίνου ἐπιτηδόπου Νικολεῖς, καὶ Βίτηρ Πατρικίου σαρακηνόφρονος τῶν αἱρεσιαρχῶν χραινόμενος. Cfr. THEOPHANES ad annum VII. Leonis.

P. 42. l. 20. *De aliarum religionum sectatoribus.* Vidd. e. g. de Magorum sectatoribus UYLENBROEK, *Specim.* Proll. p. 69, sq.; STÜWE, *Handelszüge der Araber*, p. 208, sq.

P. 43. l. 4. *Fundamentum mansere omnium posterioris aevi constitutionum.* Legatur in primis docissima HAMAKERI disputatio in commentario ad librum *De Epugnatione Memphidis et Alexandriae*, p. 165—171.

P. 44. l. 4. *Maxime in Hispania.* Vid. MIDDENDORFF, *Commentatio de Institutis Literariis in Hispania, quae Arabes auctores habuerunt*, p. 65.

P. 44. l. 12. *Plura ex hoc genere afferre possem.* V. c. magnam vim, quam Orientalium exemplum habuit in ordines equestres tempore Expeditionum Cruciarum. Exercitia equestria quanti jam antiquitus ab Arabibus haberentur

uni-



unicuique patebit *Antarae historiam legenti* (partim Anglice versam sub titulo *Antar, a Bedoueen Romance, from the Arabick by TERRICK HAMILTON, 4 Voll. Lond. 1820*). Arabum nobiliorum pueri mature in palaestram ducebantur, (Vid. v.c. *Tausend und eine Nacht*, übersetzt von G. WEIL, T. II. p. 183, 754, 787, T. III. p. 787, et CONDE, *Geschichte der Herrschaft der Mauren in Spanien*, T. I. p. 354, 482.) et ordines adeo equestres, pro fide propugnanda instituti, memorantur. Vid. v. HAMMER, *Gemäldesaal*, T. I. p. 98. Etiam ludi equestres, Torneamenta dicti, apud Arabes in usu erant, et locus hisce ludis consecratus vocabatur *Meidan*.

P. 45. 1 2. *Traditiones, ineptissimis nūgis refertas.* Traditionis Moslemorum de Mohammedo cum Euangeliis Apocryphis et Ecclesiae Romano-Catholicae traditione comparationem instituit THOLUCK, die *Glaubwürdigkeit der Evangelischen Geschichte*, p. 425—428.

P. 46. 1. 16. *Quodque ad religionis Christianae inter Moslemos propagationem pertinet.* Cfr. HOFSTED DE GROOT, in *commentatione supra laud. versus finem.*







D Hb 1060

ULB Halle
001 173 278

3/1



